A 91. 14. fol. 4.

Boethius de arithmetica

uariabilis motus est sortita substantiam. Et illam primo inmutabile
naturam unius eiusdem substantiae uocauit. hanc uero alterius. Scilicet quod a pri-
ma illa inmobili discedens prima sit altera. Quod numerum ad
unitatem pertinet et ad dualitatem. qui numerus primus ab uno
discedens alter factus est. Et quoniam cuncti secundum unitatis speciem na-
turamque inpares numeri formati sunt. Quique ex his coacer-
uati colliguntur. duplici modo eiusdem substantiae participes esse dicuntur.
Quod sibi ab aequalitate formantur tetragoni. uel coaceruatis
in unum numeris inparibus pereantur. Illi uero qui sunt pares quoniam
binarium numerum formae sunt. quique ex his coaceruati colliguntur in
una congerie parte altera longiores numeri nascuntur. Hi secundum
ipsius binarii numeri naturam ab eiusdem substantiae natura discessisse dicun-
tur. Putanturque alterius naturae esse participes. idcirco quoniam cum latera
tetragonorum ab aequalitate progressa in aequalitatem per latitu-
dinis ambitum tendant. Hi adiecto uno ab aequalitate la-
terum discesserunt. Atque ideo dissimilibus lateribus et quodam modo a se al-
teris coniunguntur. Quare notum est nobis. quod ex his ea quae sunt
in hoc mundo coniuncta sunt. Aut enim per se inmutabilis eiusdemque
substantiae est quod dicitur uel anima uel mens est uel quodcumque per naturae
incorporalitate beatur. aut mutabilis uariabilisque naturae.
quod corporibus indubitanter uidemus accidere. Unde nunc nobis
monstrandum est hac gemina numerorum natura quadratorum scilicet
et parte altera longiorum cunctas numeri species cunctasque habitu-
dines. uel aliquid relatae quantitatis. Ut multiplicium. uel sup-
erparticularium. et ceterorum. uel ad se ipsam considerare ut formarum
quas dudum in superiore disputatione descripsimus informari.
ut quemadmodum mundus mundus ex inmutabili mutabilique
substantia. sic omnis numerus ex tetragonis qui inmutabilitate perficiun-
tur. et ex parte altera longioribus qui mutabilitate participan-
tur. probetur esse coniunctus. Et primo quod distribuendum est. qui sunt hi
quos promecias uocant id est in interiore parte longiores. Est

STADT-BIBLIOTHEK BERN
(STADT- & HOCHSCHUL-BIBLIOTHEK)

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 91.14, 2r – Boethius, De arithmetica
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-470r/5290/50185)